





PROGRAMMA SACRVM,

QVO  
FRIDERICIANAE ACADEMIAE  
PRORECTOR

IOANN. SALOMO SEMLER,

S. THEOL. DOCTOR ET PROFESSOR PVBL. ORDINARIVS,  
ET SEMINARII THEOLOGICI DIRECTOR,

CVM  
DIRECTORE

ET TOTO  
SENATV ACADEMICO,  
CIVIBVS ACADEMICIS

PENTECOSTALES FERIAS


PIE CELEBRANDAS INDICIT,

PRAEMISSA COMMENTATIONE

DE CHRISTO SPIRITVM SANCTVM  
PER INSVFFLATIONEM CVM DISCIPVLIS  
SVIS COMMVNICANTE,

*ad Ioann. XX, 22.*

ANNO MDCCCXII. D. XXIX. MAII.



HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.



PROGRANM...  
LANDTAG...  
PROZESS...  
JOHANN...  
DIREKTOR...  
SENAT...  
FACULTÄT...  
DE...  
...





**T**stant, Cives carissimi, pentecostales feriæ, quas celebrandas habet ecclesia Christi, post agitados iam dies festos tum resurrectioni tum ascensioni Dominicæ sacros. Quæ festiuitates, vt temporis ratione, ita quod ad rem ipsam attinet, cui memorandæ iam a priscis ætatibus dicatæ sunt, iusta ferie aliæ alias vel antecedunt vel subsequuntur. Nam si retrogrado ordine incedere lubeat, festum Pentecostes, quo memoria effusorum super Apostolos ceterosque Christi fideles donorum Spiritus sancti pie recolitur, merito vltimum tenet tecum, vt pote quod incidit, in diem quinquagesimum a Pascha, & decimum ab ascensione Christi: hæc vero Christi ascensio in cælum facta est die decimo ante Pentecosten, & quadragesimo post Pascha. Vnde Spiritus sancti effusio euenire debuit post ascensionem Christi, secundum id quod prædictum fuerat tum a Davide rege Pl. LXVIII, 19. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in* (seu potius *pro*) *hominibus*, coll. Act. II, 33. tum a Christo ipso ascensionis

sonis die Act. I, 5. *Vos autem* (sic inquit suis discipulis) *baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Sed non euentura fuisset Spiritus sancti super Apostolos effusio, nisi præcessisset Christi tum ex mortuis resurrectio, tum adscensio in cælum, utpote quarum consequens effectus & fructus illa demum fuit: ut liquet ex illa iam ante mortem suam dicto Christi Ioh. XVI, 7. *Ego veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Cui cum consonet illud ex mortuis resuscitati Christi effatum Ioh. XX, 22. *Καὶ τὸτο εἶπεν ἐνεφύση, καὶ λέγει αὐτοῖς. Λάβετε πνεῦμα ἁγίων* siue ex versione vetere Vulgata: *Hæc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum:* agite igitur, faciamus illud pentecostalis nostræ meditationis argumentum.

*Hæc cum dixisset,* inquit Euangelista de Salvatore nostro, discipulis suis sub vesperam illius diei, quo ex mortuis resurrexerat, manifestato v. 19. remittens hac formula lectores suos totum generatim ante dicta v. 19. 20. *Venit Iesus, — — & dixit eis: Pax vobis. — — Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Vnde confit quidem, Christo in verbis propositis tunc rem fuisse cum Apostolis, in terrarum orbem nunciandi euangelii causa mittendis; iisdemque innuisse eum, Apostolos ad hoc munus suum cum successu gerendum donis Spiritus sancti carere haud debuisse ac potuisse: & tamen absit a nobis cogitare, quasi hæc promissio ad solos pertineret Apostolos, exclusis euangelii præconibus aliis, quin & cunctis fidelibus. Nam ad hos quoque illam promissionem, saltem suo modo, spectauisse, liquet ex eo, quod *qui Spiritum Christi non habet, hic non sit eius* Rom. VIII, 9. & quod qui doctores ecclesiarum esse cupiunt, sed *ψυχικοί, πνεῦμα μὴ ἔχοντες,* animales, spiritum non habentes, Apostolis Christi male audiant Iudæ v. 19. 20. & imprimis ex notabilissimo huius promissionis Christi complemento, quod in prima noui fœderis Pentecoste euenit, vbi Petrus Israelitis vndique concurrentibus ait: *Accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est repromissio, & filiis vestris, & omnibus, qui longe sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster.* Act. II, 38. 39. Vt adeo  
&

& heic suo modo valeat, quod Christus alia occasione dixit Apostolis Marc. XIII, 37. *Quod autem vobis dico, omnibus dico.*

*Insufflauit.* Elliptice dictum, quod plenius extulere veteres metaphrastæ, Syr. Ar. E. Aeth. Perf. *insufflauit in eos*, Ar. P. *insufflauit in facies illorum*, & B. Luth. *bließ er sie an*. Et vero emphasi non caret Verbum ἐμφυσάω *insufflo*: inprimis si conferatur cum historia creationis Adami, quem cum formauisset Deus de limo terræ, *insufflauit in naves* (vel, vt alii ex metaphrastis verterunt, *in faciem*) *eius spiraculum vitæ*, quod interpretes Alexandrini, LXX. vulgo dicti, eodem vntes verbo reddiderunt, ἐνεφύσησεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτῆ προὐν ζωῆς. Quo & respexit scriptor apocryphi libri Sapientiæ c. XV, II. vbi de homine vano, *Ignorat*, inquit, *eum qui se finxit, & qui inspirauit, sibi animam operantem*, & ἐμφυσήσαντα πνεῦμα ζωτικόν, *qui insufflauit spiritum vitalem*. Conferri item meretur Ezech. XXXVII, 9. vbi Deus ossibus illis aridis, Ezechieli in ecstasica visione monstratis, quæ ad vitam vix reditura esse videbantur, *A quatuor ventis*, inquit, *veni spiritus*, & *insuffla* (LXX. ἐμφύσησον) *super interfectos, & reuiuiscant*. Sicut & secundum fabulas ethnicorum apud Stephanum Byzantinum de vrbibus sub vocabulo Ἰόνιον p. 414. Iupiter post diluuium Prometheo & Mineruæ in mandatis dedit, vt ex luto idola fingerent, & ventis aduocatis, *mandauit in omnia sufflare, ἐμφυσήσαι, & viua reddere*. Potuit autem Dominus eo aptius *insufflandi* actu vti, communicaturus cum discipulis Spiritum sanctum eiusque dona, respectu habito ad etymologiam nominis *Spiritus*, quod vt Latinis a *spirando*, Græcis Πνεῦμα a πνέω *flo, spiro*, ita & Ebræis פרוח a פרוח *flauit, spirauit*, adpellatum est. Et hoc ipso ostendit, Spiritum sanctum a se non minus, quam a Patre, procedere, quod mysterium vires humani intellectus excedit; eiusque donis se, quod ad ipsam eius humanam naturam attinet, ita perfusum plerumque esse, vt quadraret in eum solum, quod Dauid Psal. XLV, 8. cecinit: *Vnxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, & vt Apostoli, quin & fideles in vniuersum, dicere de illo poterint Ioh. I, 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*. O! præclarum fontem!

*Et (declaraturus hunc sufflandi actum) dixit eis: Accipite Spiritum*

*tum sanctum.* Nempe *sufflatio* fuit actus symbolicus, quo rem inuisibilem & sensibus externis imperuam voluit discipulis facere velut visibilem & in sensus incurrentem: ideoque, vt in institutione cenae dominicae accepit panem, — deditque discipulis suis, & ait, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: *Bibite ex hoc omnes.* Hic est enim sanguis meus, sanguis noui testamenti. Matth. XXVI, 26–28. ita heic, cum insufflasset & adflauisset discipulos, vt ne hoc de mero afflatu physico & corporali intelligerent, subiungit, *Accipite,* inquit, non mere physicum flatum spiraculumue, sed (liceat nobis vti terminis Ecclesiae nostrae in Articulo de S. Cena receptis) *in, eum, & sub flatu physico Spiritum S.,* cum donis illius, tum ordinariis, illuminantibus & sanctificantibus, ad credendum vitamque recte instituendam, quin & administrantibus, ad docendi munus, (quod 2 Cor. III, 8. vocatur ἡ διακονία τοῦ Πνεύματος ministratio siue ministerium Spiritus) recte & salutariter in ecclesia gerendum, tum extraordinariis & miraculosis, quorum exercendorum potestatem vobis facio, cooperaturus vobis & verbum confirmaturus subsequenter signis, Marc. XVI, 20. Est autem Spiritus S. idem, qui alias vocatur, vt Spiritus Dei Matth. XII, 18. 28. Spiritus Patris Matth. X, 20. ita etiam Spiritus Filii Dei Galat. IV, 6. Spiritus Christi Rom. VIII, 9. 1 Petr. I, 11. pleniusue Spiritus Iesu Christi Phil. I, 19. quia ab vtroque procedit ac mittitur. Est & idem, qui ab attributis, operacionibus ac donis suis appellatur Spiritus sapientiae & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiae & pietatis seu timoris Domini, Esa. XI, 2. Spiritus veritatis Ioh. XVI, 13. Spiritus fidei 2 Cor. IV, 13. Spiritus adoptionis siue filiationis Rom. VIII, 15. Spiritus gratiae Ebr. X, 29. O carissimum ac pretiosissimum Christi donum, non Apostolis solum, sed omnibus fidelibus Christi, quanquam his non aliter quam certo modo, summopere expetendum!

Heic vero forte quaesierit quispiam, num igitur Apostoli ante hunc diem primum resurrectionis, quo insufflans eos Spiritu sancto donauit Iesus, nondum habuerint Spiritum sanctum? an ne item hoc donum demum die primo Pentecostes acceperit? Quod ad quaestionem priorem, forte affirmanda videri posset, eo quod Ioh. VII, 39. post.



postquam dixisset superiore commate Dominus, *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae viva*, Evangelista subiungit, *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus sanctus* (h. e. nondum facta erat solemnissima illa Spiritus sancti effusio, quam post ascensionem suam ad caelos in diem primum Pentecostes & subsecuta eum tempora referuauerat Christus) *quia Iesus nondum erat glorificatus*. Verum si ea fuisset Evangelistae mens, vt nullam omnino donorum Spiritus sancti collationem ante ascensionem Christi factam Apostolis fuisse statuisset, contradixisset sibi ipse, dum iam primo die resurrectionis dominicae Christum sufflando Spiritum S. cum Apostolis communicasse ait. Immo si fides est opus Spiritus sancti, Apostoli vero iam ante passionem & mortem Christi in eum crediderunt, ergo iam ante habuerunt Spiritum sanctum: quod & Christus ipse de illis diserte satis prodit Ioh. XIV, 17. *Vos vero, inquit, cognoscitis eum, (Spiritus veritatis) quia apud vos manet, & in vobis erit*. Indidem vero & hoc cognoscitur, in praesenti illo Ioannis loco, quem tractamus, verba Christi, *Accipite Spiritum sanctum*, non spectare ad solemnissimam illam effusionem Spiritus sancti die primo Pentecostes futuram, sed ad collationem tunc temporis, quum Christus loqueretur, hoc est, die primo resurrectionis dominicae Apostolis actu factam. Vtut enim sacris scriptoribus Imperatiuus aliquando pro Futuro Indicatiui veniat, v. g. quam Gen. XX, 7. post mandatum, *Restitue uxorem viri cet.* subiungitur, *& vine, pro vives*, Ezech. XVIII, 32. *Conuertite vos, & viuite, & viuete*, Psal. XXXVII, 27. *Recede a malo, & fac bonum, & habita in aeternum, pro habitabis*; tamen in his exemplis dissimiles coniunguntur Imperatiui, ita vt priores faciant quasi protasin per modum praeccepti, posteriores vero demum faciant apodosin, per Imperatiuum loco Futuri Indicatiui positum: in nostro contra loco Imperatiuus absolute ponitur, ac adeo verba, *Accipite Spiritum sanctum*, non sunt mere indicantis ac praedicentis, quid futurum sit, sed actu donantis & conferentis, vt quum Christus in S. Cena discipulis diceret, *Accipite, comedite*, Matth. XXVI, 27. Hoc vero largimur, discipulos Christi diuersis vicibus dona Spiritus sancti accepisse diuersis gradibus, diuersaque quantitate ac mensu-

mensura, simplice quidem ante mortem Christi, maiore post resurrectionem eius, maxima vero & completissima post eius adscensionem in caelum: vt vel sic impletum fuerit dictum Domini nostri Matth. XIII, 12 *Qui habet, dabitur ei, & abundabit; & c. XXV, 29. Omni habenti dabitur, & abundabit.* Vtique discipuli Iesu, quum ad solos Israelitas mitterentur, iam opus habebant donis Spiritus sancti, ad digne perfungendum munere suo, Matth. X, 5. 6. multo igitur magis, & maiore illorum mensura indigebant, cum euangelii causa illis eundem esset ad docendum omnes gentes cap. XXVIII, 19. idque visibili praesentia Domini ab se ablata.

Iam igitur, Ciues carissimi, vt omni tempore, ita hoc Pentecostali inprimis, apud animum vestrum (vt dignum est) reputate, carere vos Spiritu S. neuriquam posse, siquidem Christiani esse cupitis, quia *qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius*, Rom. VIII, 9. Reputate item, vos, si veritati studetis, indigere quam maxime Spiritu sancto, vtpote qui est *Spiritus veritatis*, Ioh. XV, 26. Reputate, vobis, si scientiae studium profitemini, necessarium esse Spiritum hunc, qui est *Spiritus sapientiae & intellectus*, — *Spiritus scientiae & (qui verae solidaeque sapientiae principium est Proq. I. 7.) timoris Domini*, Esa. XI, 2. Denique reputate, vos sine hoc Spiritu, qui *Spiritus vitae* est, Rom. VIII, 2. fore emortuorum instar corporum, in quibus vita nulla est. Et vos maxime, Ciues, qui sanctae theologiae studio vos dedistis, quique ad illud munus praeparari cupitis, quod *ministerium Spiritus* adpellatur 2 Cor. III, 8. sancto Spiritu carere non debetis. Ergo cum Deo Patre Iesum Christum, vnde Spiritus S. manat, piis precibus, maxime in hac Pentecostali festiuitate, adite, memores illius dicti, quod Christus publice proclamauit Ioh. VII, 37. 38. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae viuae.* Addit ibidem v. 39. Evangelista: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* P. P. in Academia Fridericiana Halensi in feriis Pentecostalibus anni clōcclxii.



Je 2696

7

ULB Halle  
002 623 900 3



TA 502

me

i-  
d  
n-  
o-  
is  
ec  
vt  
ci  
  
de  
it.  
r-  
II.  
os  
n-  
n-  
ur  
de  
um  
n-  
to  
en  
nt.  
os  
9.  
ft,  
m,  
uo  
Et  
te-  
us  
ons











PROGRAMMA SACRVM,  
QVO  
FRIDERICIANAE ACADEMIAE  
PRORECTOR  
IOANN. SALOMO SEMLER,  
S. THEOL. DOCTOR ET PROFESSOR PVBL. ORDINARIVS,  
ET SEMINARII THEOLOGICI DIRECTOR,

CVM  
DIRECTORE  
ET TOTO  
SENATV ACADEMICO,  
CIVIBVS ACADEMICIS  
PENTECOSTALES FERIAS

PIE CELEBRANDAS INDICIT,

PRAEMISSA COMMENTATIONE

DE CHRISTO SPIRITVM SANCTVM  
PER INSUFFLATIONEM CVM DISCIPVLIS  
SVIS COMMVNICANTE,  
*ad Ioann. XX, 22.*

ANNO MDCCCCLXII. D. XXIX. MAII.

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.